

Commonitus, atque edoctus, similiter fecit. Pharaos, ut iniquus, necesse fuit, multis plagis vexari. Abimelech, ut melior commonitione, atque doctrina profecit. *Astiterunt Reges terra, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum eius*, Psalm. 2. à num. 2. & statim subdit Regis Vates: *Reges eos in virga ferrea; & postea ait: Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram, servite Domino in timore, ne quando irascatur Dominus*, ibid. num. 12. Ubi sermo est proximè cum Regibus sanctis, & piis, non qui astiterunt adversus Christum, ut cum communi sententia notat Lorinus. Cur igitur, dum sermo dirigitur ad iniquos Reges, ait: *Reges eos in virga ferrea; dum verò cum bonis, & piis Principibus loquitur: Servite Domino in timore, ne quando irascatur Dominus?* Ubi, ut notat D. Thomas, ponit admonitionem, & assignat admonitionis rationem. Cur ad illos virga ferrea; ad hos verò ratio: Illi; ut depravati; ac scelerati, virga ferrea sunt coercendi; hi vero ut dociles, ac pii, vi rationis, & admonitionis trahendi.

QUESTIO XIII.

Quare Christus Dominus mitiora hic verba proferat, quam Matthæi 21. in similitate?

68. **C**hristus Dominus prope passionem ejecit vendentes de templo, & dixit eis: *Domus mea, domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum*, Matth. 21. n. 13. hic vero ait illis: *Nolite facere domum patris mei, domum negotiationis: multum autem interjacet inter hæc duo, domus negotiationis, & spelunca latronum: nam illa prima verba in se multo leviora sunt, quam hæc secunda. Sunt qui dicant, quibus favet Chrysostomus hic homil. 22. quod isti vendentes, de quibus hic Joannes meminit, res vendebant sine fraude, & dolo, ac proinde secundum justitiam, licet actio ratione circumstantiæ loci esset vitiosa: qui vero mercaturam exercebant in templo, cujus historiam narrat Matthæus citato loco, vendebant res ultra sortem, ac cum magna circumventione, & fallacia, ac proinde contra justitiam latrocinium exercebant. Ideo Christus primis venditoribus dixit: *Nolite facere domum patris mei domum negotiationis: secundis vero, speluncam latronum. Opposita tamen sententia mihi videtur probabilior cum Toletto annot. 21. Non enim verisimile est, in priori negotiationes omnes secundum se justas fuisse; in posteriori vero omnes iniquas: sed in utraque ejectione, tenendum est, extitisse, qui & uno, & altero modo negotiabantur. Dominus autem utroque ejecit ea ex causa, quia negotiabantur, ubi negotiari prohibuit erat. Cur ergo in secundo casu durior fuerit reprehensio, inquirimus?**

69. **R**espondet primò D. Thomas. *Attende autem, ait, quod Matthæus 21. dicit: Nolite facere domum meam speluncam latronum; hic verò dicit, domum negotiationis, quod Dominus ideo fecit, ut sicut bonus medicus, primò à levioribus incipiens, postea duriora proponeret. Hoc enim, quod hic fa-*

Etum dicitur primò factum fuit, unde in ipso principio non latrones, sed negotiatores eos vocat. Exemplo sumpto ab optimo medico, ita bonus Prælati extrema in exordio reprehensionis verba non adhibet, sed à minoribus manum ponere incipit, & si hæc non proficiunt, succrescendo ad majora venit; magna enim Prælati benevolentia intendit, an possit duriora vitare; & ideo levioribus totum recompensare procurat. Et inquit D. Chrylomos, & Hugo, quod *Christum decuit in initio sue predicationis mitius, & modestius arguere, unde dicit, domum negotiationis; postea verò durius, speluncam latronum.*

Secundo Hugo, *Potest dici, ait, quod in prima ejectione decuit, ut qui mansuetus fuit in verbo, esset durus in facto, ut simul essent misericordia, & veritas, quia & mansuere eis dicit: Nolite facere domum patris mei, domum negotiationis; tamen cum mansuetudine verbi adhibuit severitatem flagelli. Plam. 24. num. 10. *Universa via Domini misericordia, & veritas: Proverb. 3. num. 3. *Misericordia, & veritas non te deserant. In secunda autem ejectione, ubi durior fuit in verbo, vocans eos quasi latrones, decuit, ut mitior esset in facto: unde ibi non fit mentio de flagello. Ponderat citatus Cardinalis diversam modum, quo Dominus in utroque facto se exhibuit; nam hic usus est flagello, leni tamen reprehensione dixit. Nolite facere domum patris mei, domum negotiationis; ac prope passionem verbera non adhibuit Dominus, duro tamen, & penetrabili verbo eos transfixit, latrones vocans: Vos autem fecistis illam speluncam latronum, nos docens Dominus suo facto, quod rigor cum benignitate sit conjungendus. Ubi durum, asperumque verbum abest, flagellum invenitur, ubi vero flagellum intervenit, mite, ac lenè resonat verbum. Vide lib. 3. cap. 1. num. 100.***

Tertio D. Thomas hic: *Nec enim, inquit, quod hic factum dicitur, primò factum fuit, unde in ipso principio, non latrones, sed negotiatores eos vocat: sed quia ex eorum duritia adduc à tali negotiatione non cessabant; ideo Dominus alia vice eos expellens, de quo agitur in Marco, durius eos increpat, vocans latrocinium quod primò vocaverat negotiationem. Ob criminis reincidentiam Dominus cum eis durius agit, nam primo leniter verbis reprehendit eos, cum vero secundo loco eos in turpi facto suo persistentes, neque admonitione emendatos vidisset, durius invehitur in eos, latrones dicens. Aures reprehensionis obturare, in peccatoque persistere magnum nefas. Postquam Samuel Israëliticum populum à peccatis suis commonefecit, dixit eis: *Quod si grande malum perseveraveritis in malitia, & vos, & Rex vestrum. pariter peribitis*, 1. Reg. 12. n. 25. seu, ut est in Hebraico apud Cajetanum: *Si malignando malignamini, id est, si unum peccatum addideritis super aliud, vos, & Rex vester peribitis*, quia ipsa mali persistentia torius est causa ruinæ, ut ponderat D. Bernard. *serm. 12. in Psalm. Qui habitat.**

QUESTIO XIV.

Quæ negotiatio in Ecclesia prohibita sit?

Facto, & verbo suo Christus Dominus significavit, negotiationem in templo veteram

Suarius. tam esse; non quia ut notavit Suarius tom. 3. ad 3. part. disp. 81. sect. 8. §. secundo, ex hoc, & tom. 1. Reliq. lib. 3. cap. 4. num. 19. Talis actus esset prohibitus positivo legis præcepto, in lege enim veteri tale præceptum non invenitur, nec Christus Dominus illud allegavit, sed ipsa ratione naturali in templi sanctitate desumpta usus est Dominus; quia sancta sanctè tractanda sunt. Tamen ex Scriptura habebatur, quod sancta convenienter ad domum Dei pertinebant. *Domum tuam Domine decet sanctitudo in longiudinem dierum*, Psalm. 92. num. 5. Unde meritò jus Canonicum multis in locis hujusmodi negotiationem in Ecclesia prohibet, ut habetur in VI. Synodo Can. 79. & 1. quæst. 3. cap. ex multis, & cap. decet, de immunitate Ecclesie in 6. Quia, ut ibi dicitur, *Decet, ut cusus in pace factus est locus, & ejus cultus sit cum debita verberatione pacificus. Ubi autem negotiatio est & ibi magnus invenitur tumultus. Et quia, ut ait Albertus Magn. hic, ipsa negotia multoties infidiæ sunt ad latrocinium, ac furtum. Circa hanc prohibitionem vide Anton. 3. part. sit. 1. cap. 16. §. 2. Cajetanum in summa verb. immunitas Ecclesie. Suarium citatis locis.*

Hugo. *Tribus modis inquit, fit domus Dei, domus negotiationis. Primo quando persona Dei tractant negotia. Et hoc est contra illos, qui in Ecclesia Dei, vel in Religione maxime negotiationes exercent, & causas, & litigia tenent, & habent. Psalm. 70. n. 19. secundum aliam litteram: Quoniam non cognovi negotiationem, introibo in potentias Domini. 1. Corint. 6. n. 7. Jam quidem omnino delictum in vobis est, eo quod iudicia habeatis inter vos, D. Bernard. ad Eugenium; Qui dicunt, quod de celsitudine Sedis sit iudicare, & litigantes audire, puto, quod non monstrabunt, ubi alicubi quipiam Apostolorum sederit, Secundo modo, ait Hugo, faciunt domum Dei, domum negotiationis, qui res domus Dei ita expendunt, ac dant parentibus, ac si eas negociando acquisivissent. Contra quos dicit Bernardus: Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegio crimen esse dignoscitur. Sanè patrimonia sunt pauperum facultates Ecclesiarum, & sacrilega illis crudelitate furripitur quicquid sibi ministri ultra victum accipiunt. Tertio ait Hugo. Domum faciunt domum negotiationis, quando ad litteram in Ecclesia tractant negotia secularia, ubi deberent attendere spiritualibus. Augustin. inquit. In Oratorio nemo aliquid agit, nisi id, ad quod factum est. Et ideo hanc felicitatem, quod in Ecclesia Christiana non futuræ essent negotiationes, ut explicat Lyranus, prædixit Zacharias c. 14. n. 21. Et non erit mercator, ait, ultra in domo Domini exercituum in die illa.*

Anonymus in Catena apud Corderium. *Domus quidem negotiationis, ait, est domus Dei, verum tamen non carnalium rerum, & quæ in ventrem mittantur, sed preciosissimarum, atque pulcherrimarum, quæ animam faciem exornant, ipse autem sunt pura synceræque fides. Domus Dei tota est dedicata, & consecrata ad honorem, & cultum Dei: ad orandum, ac ad misericordiam divinam expostulandam; nec enim unjus domus negotia cum alterius negotiis sunt permiscenda. Vendere, emere, mercaturam facere, monetam permutare, ad prophanam hujus sæculi spectant domum. Meritò ergo reprehenduntur, & flagello*

puniuntur, dum in sancto Dei templo talia fiunt: Cum Abrahamus peregrinaretur, venit ad convallem illustrem, in quo apparuit & Deus dicens: *Semini tuo dabo terram hanc: ubi ipse edificavit altare Domino. Et inde transgrediens ad montem, qui erat contra Orientem Bethel: tendens tibi tabernaculum suum; Genes. 12. num. 8. Sed cur transgreditur, seu, ut habent Septuaginta, recessit à loco, in quo ei apparuit Dominus, ac tot promissionibus est ditatus. Ex apparitione Dei, exque altari ibi erecto loci sanctitatem cognovit D. Chrylóst ibi: *Quid est, ait, & discessit inde? Quin Deo locus ille segregatus, & sanctificatus erat. Cum locus ille Deo esset dedicatus, Abrahamus ibi nihil aliud obedire voluit, nisi quod in Dei cultum cedebat. Ad alia verò munia præstanda nempe ad consulendum dotum, de hisque disponendum, quæ ad familiam spectabant, alium eligit locum, nec enim Deo consecratum convalle præter ea, quæ Dei sunt, capere poterat.**

Ioannis. 2. n. 17. Recordati sunt verò discipuli ejus: quia scriptum est: *Zelus domus tuæ comedit me.*

VERSIONES.

D. Chrylóstom. Recordati namque sunt discipuli ejus tunc, quia scriptum est. **D. Augustin.** Recordati sunt discipuli ejus, quia zelus domus Dei ejecit illos de templo Domini. **Symmachus in** Zelus domus tuæ consumpsit me. **Psalm. 68.** Devoravit me. **Syriacus.** Devoravit me. **Pagnin. Vatabl.** Exedit me.

XPOSITIO.

In hoc mirabili facto statim Apostolis venit in mentem Davidicum carmen: at Judæi signa quærent, ut habetur versu sequenti, quomodo Christus hujusmodi ejectionem faceret. Unde eleganter ait Chrylóst homil. 22. *Zelus ille pro domus Dei honore maximum fuit virtutis signum; quod boni adverterunt, recordati namque sunt discipuli eius, quia scriptum est, &c. Illi autem Propheta non meminerunt, sed signum quærebant: dolebant turpe lucrum auferri. Justitiam ac probi, utpote erant Apostoli; in casu, ac occasione conjiciunt oculos tantummodo ad legem, ac præcepta Dei, ut eis obtemperent, ac conformentur; iniqui autem quales erant Judæi, ad nihil aliud respiciunt, nisi ad lucrum, damnumve suum; idcirco dolentes, ac gementes quærent, quomodo acciderit Non propheta meminerunt, sed dolebant turpe lucrum auferri. Et ait textus: *scriptum est, Psalm. 68. n. 10. Zelus domus tuæ comedit me. Id est vehemens amor, ac summam studium reverentiæ domus exedit me, ac veluti ardentissima facula inflammavit me, mei oblitum, ut omni contempto periculo, nullus**

Psalm. 2.

Lorin.

D. Thom.

68.

Matth. 21.

Chrylóst.

Tolet.

69.

D. Thom.

A levioribus incipiendum autem ad majora devenimus.

Chrylóst. Hugo.

70.

Psalm. 24.

Proverb. 3.

71.

1. Reg. 12.

Cajet. Bernard.

74.

Anonym. Corderius.

In Ecclesia non temporalia sed spiritualia negotianda sunt.

72.

Genes. 12.

Septuag.

Chrylóst.

Rigor cum lenitate.

75.

Idem.

In casibus justis considerant legem Dei mali damnum lucrum.

Psalm. 68.

Quid sit, &c. editus auctor.

nullus resideat vitæ amor, mortis horror, honorum, commodorumque cupiditas, sed tantum cultus, & reverentia domus Dei undique me teneat. Et ita ostendit Christus, quomodo ea quæ sui sunt materis, adimpleat, cum ipse in mundum venerit, ut Patrem suum glorificet, Joan. 14. num. 13.

QUÆSTIO XV.

Quando, & quomodo recordati sunt discipuli de Davidico carmine?

76. Quando recordati sunt discipuli. Rupert. Albert. Mag. Titelm. Cajet.

Duplex in hoc textu venit difficultas, Et primò, ait enim: Recordati sunt discipuli, quia scriptum est, &c. Quæritur ergo: quando recordati sunt discipuli, num quando hæc fiebant, an post Resurrectionem; Rupertus lib. 3. in Joan. Albertus Magnus Titelm. Cajetanus, in ea sunt sententia, ut dicant, quòd quando hæc agebantur, versiculus in eorum mentem non venerit; sed tantum post Resurrectionem, quando Christus illis ad intelligendas Scripturas intellectum aperuit. Tamen probabilior est sententia, quod quando Christus vendentes propulabat à templo. Davidis Psalmus Apostolis in mentem venerit. Ita docent D. Chrysostomus homil. 22. D. Cyrillus lib. 2. cap. 30. Theophylactus, Barradas hic, & Lorinus Psalm. 68. num. 10. Et probatur, quia Joannes simpliciter ait, quod post Resurrectionem recordati sunt, sicut de sequentibus explicat, dum refert verba Christi, Solve templum hoc, & in tribus diebus excitabo, & ait Evangelista: Ille dicebat de templo corporis sui; & statim subjungit: Cum ergo resurrexerit a mortuis, recordati sunt discipuli, quia hoc dicebat de templo corporis sui. Nec discipuli ita rudes erant, ut Davidis carmina omnino ignorarent, cum sæpe haberentur per omnium manus, & ora, ac in templo canerentur; & multoties recordamur de his, quæ ab aliis inculcantur, ac dicuntur: nam frequenter de Scriptura, & Psalmis in templo lectiones fiebant.

Chrysof. Cyrill. Theophil. Barradas Lorin.

77. Recordati sunt tanquam de Christo pronuntiant.

Tolet. Lorin.

Joan. 1.

Secunda difficultas est: An recordati sint de hoc Davidico carmine, tanquam pronuntiato de Christo; an tanquam dicto de alio, ita ut sit sensus: venit illis in mentem Davidis zelus, de quo dictum est: Zelus domus tuæ comedit me; ut sæpe quæ sunt dicta de alicujus facinore, alteri simili aptamus? Tamen verisimilius mihi cum Toletio, Lorino citato, quod meminerunt versiculi, tanquam de Christo dicti, hoc enim videretur invidere ille loquendi modus: Recordati sunt, quia scriptum est. Deinde discipuli pro tunc optime agnoscebant, quod Christus in Scriptura continebatur, & quod Propheta, & Psalmi de ipso agebant; & ita dixit Philippus Nathanaëli: Quem scripsit Moyses in lege, & Propheta, invenimus Jesum, Joan. 1. num. 45.

QUÆSTIO XVI.

Quomodo dicatur de Christo D. Zelus domus tuæ comedit me?

Zelus, seu æmulatio, sæpe enim unum sumitur pro alio, est vehemens alicujus studium, ac desiderium. Cujus significaciones, & acceptiones variaz videri possunt apud Robertum Holcot lib. de Sipient. lect. 7. Thesaurum Scripturæ Joan Ferdinand. cap. 51. Sylvam allegoriarum Hieronymi Laurenti. Breviter tamen ut dicam, sumitur in bonam, & malam partem: nam aliquando zelus idem est ac invidia. D. Cyprianus lib. de opere & invidia. Actor 5. num. 18. de conventu Judæorum dicitur: Repleti sunt zelo, legit Syriacus invidia. In eodem sensu accipitur. Actorum 13. num. 45. & 1. Corinth. 1. num. 8. & epistol. Jacobi cap. 4. num. 14. & 16. Videndos ad citata loca Lorinus in Actis, & Laurentius Justinianus in epistol. Nam actus ille, quo quis movetur in bonum, & excellentiam alicujus, quia dolet de eorumque vult impedit, est zelus invidia.

78. Robert. Theaurus Scripturæ. Sylva allegoriarum. Zelus idem ac invidia. Cyprian. Actor 5. Syriacus. Actor 13. 1. Cor. 3. Jacobi 3. Lorin. Laurent. Justinian.

Zelus autem sapientissimè accipitur, prout est quidam amoris affectus ab ipso amore ortus sicut rivulus à fonte, & sicut ardor ab igne, ut explicant Aristoteles 2. Ethic. cap. 8. D. Thom. 1. 2. q. 28. art. 4. Potest tamen zelus oriri ab amore, concupiscentia, & est studium illud, quo quis est sollicitus de vita, utilitate, familiaque sua. Perfectissimus autem zelus dimanat ab amicitia amore, quo quis querit bonum ipsius amici, quia bonum est amico. Hujusmodi autem zelus erat in sanctis viris, per respectum ad honorem Dei. Et definitur potest: Est vehemens quoddam studium vel ignis urens, omni contempto periculo, damno, & commodo, procurandi quæ sunt honoris Dei, & propulandi, quæ ei adversantur. Hunc autem zelum explicat Alcuinus: Est quidam fervor animi, quo mens relicto humano timore, pro defensione veritatis accenditur, & hoc zelo Dei honorem zelare debemus. Talis fuit zelus Phinees Numer 25. num. 17. Parentis Eliæ, Zeo 1. Mattheæ 1. Machab. 2. num. 26.

79. Zelus affectus amoris. Aristot. D. Thom.

Quid sit zelus.

Alcuin.

Nam 15. Reg. 19. 1. Mich. 2.

80.

Hic zelus perfectissimè, & excellentissimè quodam modo super omnes puras creaturas Christum Dominum replevit, quo accensus, omnia pericula parvipendens vendentes profligavit à templo: sicut enim Deus dicitur zelotes Exod. 20. num. 5. ut explicat D. Dionysius de divinis nominibus, cap. 4. ut valde vehemens ad ea, quæ sui sunt honoris, & gloriæ; ita Christus Dominus factus est zelotes honoris domus Dei. Fortis est, ut mors, dilectio; dura, sicut infernus, æmulatio, Cantic. 8. num. 6. Quæ verba explicat Ghislerius ibidem, expositione 2. de amore Christi erga Ecclesiam, quia, ut ait August. epist. 39. Sicut nemo vincit mortem, ita nihil valuit Christi charitatem superare. Multa aqua non potuerunt extinguere charitatem. Dura, sicut infernus æmulatio: post amorem zelum profert, oritur enim ab amore zelus. Et sicut infernus nullis pœnis, nullis tormentis, ac horroribus fatigatur, ac mitescit, sed semper valde obfirmatus consistit, ut Cassiodor. & Beda ibi inculcant, ita æmulatio,

Exod. 20. Dionysius.

Cant. 8.

Ghisler. August.

Amor ac zelus perfectus penitus non minuitur.

Cassiod. Beda.

latio, ac excellens zelus honoris Dei, nullo timore, nec aliquo vitæ vel mortis periculo frangitur, ac emollefcit, sed semper valde firmus persistit. Vel, ut ait D. Anselm. sicut enim infernus insatiabilis est in recipiendo, & in damno inferendo, ita zelus nunquam satiatur, ut pro honore dilecti patiarur. Et ideo Christi zelus omnia devorabat, ut illa templi reverentia servaretur.

81. Divus Augustinus tractat. 10. in Joannem: Fratres, ait, unusquisque Christianus in membris Christi zelo domus Dei comedatur. Qui comedat, ait, zelus domus Dei? Qui omnia, quæ forte ibi videt perversa, satagit emendare, cupit corrigere, non quiescit. Si emendare non potest, tolerat, gemit. Exemplo nos hortatur sanctus Doctor, ut tanquam Christi membra domus Dei zelum habeamus. Aliter verò Vitalis Zmolius homil. 45. in Marcum, explicat hunc zelum, & ait, quod zelus domus Dei comedit Christum, id est, effecit ut se ipsum comedendum exhiberet in Eucharistia, nihil enim aliud domum Dei magis nobilitate, & extollere potuit, quam quod in venerabili Sacramento Ecclesiæ ad comedendum se Christus daret, quo maxime dirantur omnes fideles dignè accedentes ad tantam mensam. At qui indignè sunt, in se ipsos convertunt furorē, ac zelum quo indutus est Dominus, quando templi violatores flagellavit. Hæc sunt valde moralia. Et de his multa lib. 6. cum de sacra Eucharistia fuerit sermo.

Anselm.

81. August. Zelus emendare cupit, si non potest, gemit.

Vital. Zmol.

Eucharistia extollitur Ecclesiæ.

82.

Homo officiosus accommodatur.

Obligatio officij tibi proportionanda non est.

1. Cor. 9.

Ambros.

Bernard.

Luc. 22.

Tandem expendo verba textus: Zelus domus tuæ comedit me. Non dicitur: Ego comedi zelum; nam cum quis aliquo vescitur, illud in se convertit, verbi gratia, dum panis manducatur, in comedentis substantiam transit. Zelus comedit me, hoc est, zelus totum me ipsum transmutavit in se. Optimum documentum, cum zelus domus Dei esset proprium muneris Christi Domini. Obligatio officij tui in se ipsam te convertat ut tu ei conformeris, totusque ad eam, quæ tibi sunt muneris, factus sis; non verò tu comedas officium, quasi, velis, quod ipsa officij obligatio proportionetur tibi, ac condescendat. Doctor Gentium 1. Corinth. 9. num. 19. Nam cum libe esset ex omnibus, omnium me servum feci, ut plures lucrifacerem, & factus sum Judæis tanquam Judæus, &c. & concludit: Omnibus factus sum omnia; ut omnes salvos facerem. Magnus Doctor Gentium, non sibi accommodavit omnes, sed se ipsum omnibus proportionavit, ut omnium infirmitati condescendens officium sibi datum adimpleret. Sic D. Ambrosius ibi fatur: Servum autem sic se omnium factum dicit dum se per humilitatem similem omnium mente imbecillium exhibuit; ut eos per patientiam firmaret ad salutem futuram; convosens animos illorum. Non enim officium datur, ut tibi indulgeas, sed ut communi populo servias; non ut tibi consulas, sed ut eis attendas. Eleganter Divus Bernardus lib. 3. de consideratione ad Eugenium: Praes, ait, & singulariter, ad quid? Eges, tibi dico, consideratione: numquid, ut de subditis crescas? nequaquam, sed ut ipsi de te. Principem te constituerunt, sed sibi, non tibi; aliquis pacto te reputas superiorem his, à quibus beneficium merdicas. Audi Dominum, Luc. 22. n. 25. Qui potestatem habent super eos benefici vocantur. Vide lib. 1. c. 2. n. 103. & 104. lib. 2. cap. 1. num. 45. & 56. & lib. 3. cap. 1. num. 55. & 56.

Joannis 2. n. 18. Responderunt ergo Judæis, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis?

VERSIONES.

Varabius ex Hebræo in scho-lijs. In senens ex Græco. Salmeiron ex Græco. Varabius. Objecerunt ergo Judæi, & dixerunt, &c. Inceperunt Judæi dicere, &c. Quod argumentum ostendit. Quando quidem ista agas?

EXPOSITIO.

UDÆI invidia tabescentes, quod Christus Dominus tantum domus Dei ostendit ret zelum; maximeque dolentes, quod suis emolumentis privarentur. Responderunt ergo; verbum responderet hic, ut notant communiter expositores, Janfenius, Toletus, id est locuti sunt, Janfenius sæpe enim habet hanc vim, & Judæi interrogati non erant. Vel dic, quod cum sæpe factis, & verbis loquatur homo; Judæi responderunt ad Christi factum quo mercatores ejectionem ad templum. Et responderunt verbis, quæ colimbarum venditoribus dixerat Christus Dominus: Auserte ista hinc; præsumptuosus enim aliquando se intromittit, ut pro aliis steterit, & loquatur; particula enim ergo, illationem pro alijs. ex antecedentibus indicat. Et dixerunt ei, Judæi propriam non considerant culpam, quod in templo vendebant, sed totam suam dirigunt mentem, ut in Christo Domino calumniandi defectum rationem inveniant. Quod signum ostendis nobis; signum petere, Judæis valde familiare erat 1. Corinth. 11. num. 22. Judæi signa querunt. Et in eorum personâ ait David, Psalm. 73; numer. 9. Signa nostra non videmus. Et quia in hujusmodi ejectione, ut bene notat D. Thomas, resplenduerunt in Christo rectitudo, & zelus quæ ad virtutem pertinent; & potestas, seu authoritas hujusmodi ejectionem faciendi; de Christi virtute, & zelo, quibus prædicta fecerat; signum non querunt; cum unicuique secundum virtutem operari liceat, sed tantum de auctoritate, qua eos, à templo expulerat, scrutantur: nam cum ipsum opus calumniare nequirent; de auctoritate faciendi intendunt detrahere; Egregie Divus Chrysostomus homil. 22. adversus eos exclamat: O summam demenciam! quoniam signum opus erat cum malefacta corripere, & Dei dominum tanta purgaret ignominia; Judæi valde insipientes de auctoritate interrogant; nam non forsitan Christus Dominus, cum esset Filius Dei naturalis, verum etiam quilibet homo parus, cum sit Filius Dei adoptivus, ejusque creatura, jus habet, ut pro Dei rebus loquatur, in publicum exeat, atque honorem ejus tueatur. Quia hæc facis? Querabant signum, quare eos eiciebat

83.

Peccator non in se, sed in alijs videt defectum.

1. Cor. 1. Palm. 75.

D. Thom.

Chrysof.

Virtus magna habet auctoritatem